



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

**Vitæ Sanctorum Sacris per singulos anni dies  
Meditationibvs illustratæ**

**Paderbornæ, 1697**

S. Symphorianus M. 22. Augusti.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-62968](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-62968)

quæ hominis sunt? an æquæ? & ex quibus rebus argui potest tuus in Deum amor? quam amore, quo erga alios afficeris. *Utinam sceres quæ Dei sunt, intelligeres quæ mundi sunt, provideres quæ inferni sunt.* S. Bernardus.

3. Fortitudinis Christianæ comes est fiducia in Deum. Non petit à nobis appellari Rex noster, sed pater, vult ut singulari fiducia confugiamus ad se tanquam ad patrem, si nos mundus ex odio Dei persequitur. Quàm fiducialiter agis cum Deo? *quis ei de seculo est timor, cui Deus in hoc seculo est tutor.* S. Cypri. de Ser. Dom. & S. August. ait, *non timeat anima quæ amat, sed paveat, quæ non amat.*

## S. SYMPHORIANUS M.

22. Augusti.

*Nisi conversi fueritis & efficiamini sicut parvuli, non intrabitis in regnum cælorum.* Matt. 18.

**A**Nno post Deum hominem CCXXIII. SYMPHORIANVS Juventutis Augustoduni in Gallia princeps, quòd cultum Diis negasset, jussu Heraclii, qui pro Valeriano illic furebat, in vincula est abreptus, sed quæ ille digna nobilitate Christianâ monilia putavit. Pugnabat in fortissimum juvenem gemina acie tyrannus: hinc agmen, minæ, verbera,

bera, flagra, illinc blanditiæ, munera ac pro  
 missa ducebant, perrupit tamen Martyr u  
 trumque cornu, & illud constantiâ, hoc  
 etiam risu vicit fuditque. Sed victorem per  
 simus Iudex ad gladium damnavit. At SYM  
 PHORIANVS præferri sibi secures non  
 supplicium, sed triumphum putavit, quem  
 augustissimum mater triumphantis fecit  
 dum his vocibus è tecto & ipsa triumphans  
 acclamavit. Io! fili, triumphas. Io! tecum  
 Mater triumpho! quid enim? Certè victo  
 rem filium, præferri secures, & sequi victum  
 Tyrannum video, sed cur sine purpura  
 fallor; an tuus hanc cruor dabit? Et cur sine  
 corona? iterum fallor: coelum hanc dabit  
 nec è mortali lauro dabit, Superi! filio jam  
 supervivere matrem juvat, juvat oculos claudere.  
 Audite votum novum sidera & tu filii  
 i, sanguine subscribe. Hæc aut similia mater  
 filius interim cœleste jam capitolum victo  
 tenebat. *Ex Sur.*

MEDITATIO.

*De vitæ brevitate.*

I. S Ymphorianus Juvenis annis sed vix fortibus  
 Sctis. *Consummatus in brevi explevit tempora multa*  
 Vita momento labitur, dies, menses, anni, tempesta  
 tes, ætate tam rapido cursu sibi succedunt, ut moria

mur, cum vix vivere ceperimus. Quò florens juvenus fugit non reparabilis! ah! si datum tibi tempus melius collocasses, tunc præmium ingens tibi maneret. *Non exiguum temporis habemus, sed multum perdimus. Senec.*

3. Non modò brevis est vita nostra, sed redundat miseris, cœlum vel maximè serenum nube non caret. Contendo te nullis unquã mundi voluptatibus potitũ fuisse, quin fuerint felle aliquo permixtæ. Ah! amaræ sunt deliciæ, quid dolores, quid gemitus, quid lacrymæ inferni? Rectè igitur. August. *Vita dulcis stultis amara sapientibus, qui te amat, non te cognoscit, qui te contemnunt, te intelligunt.*

3. Ne sis sollicitus de longa vita, improbo semper longior est, probo verò satis longa & quantumlibet videatur brevis, sufficit ad sanctificationem. Labora æternitati, vita quippe Patriarcharum punctum est ad æternitatem. Itaque ne perperam abutaris momento vitæ tuæ; ab eo siquidem pendet æternitas. *Vitâ si scias usi, longa est. Seneca.*

**SS. CLAUDIUS, ASTERIIUS, NEON. MM.**

23. Augusti.

*Christo confixus sum Cruci. Galat. 2. vers. 19.*

**P**Otest Ægea hodie invidiam Romæ face-  
re, & tergeminos fratres & ipsa suos ja-  
ctare, Horatiis vel ideò fortiores, quod vi-

I

vus